Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1547
Quelle:
Copyright:

preclarissimi &c. Ex hac apostrophe videri posset voce prolatus pro concione, nisi prolixitas vetaret. Compositum fuisse post Concilium *Constant.* cui *Johannes* interfuit, ex ejus Decretorum citatione liquet. Ad calcem legitur: *Explicit tractatus bonus contra dicentes communicacionem laycam licite fieri sub utraque specie panis et vini Opponentes se vniuersali matri Sancte Ecclesie et sanctis doctoribus ab eadem receptis et approbatis Finitus die sabbati ante festum sancti Jacobi apostoli Anno domini Millesimo CCCC^mo vicesimo primo Collectus per venerabilem doctorem Magistrum Johannem Hoffman de Swydnitz sacre Theologie professorem.* De viro hoc primum *Pragensi*, dein *Lipsiensi* Theologo, demum Episcopo *Misnensi*, et an. 1451. defuncto, ejusque Scriptis agunt Balbin. *Boh. docta* P. II. p. 379. Hanckius *Siles. erudit.* c. 24. Calles in *Episc. Misnen.* p. 283. Fabric. *Bibl.* L. 9. qui Tractatum nostrum impressum vult *Venetiis* 1571. Supposititium non esse, ut quibusdam videbatur, vel *Subscriptio* nostra evincat.

IV. *fol.* 147. sine titulo: *Henrici de Frimaria* f. *Vrimaria* O. Erem. S. Aug. *Praeceptorium* sive Tractatus de X. Praeceptis Decalogi. Incipit: *Audi israhel precepta domini. et ea in corde tuo quasi in libro scribe. et dabo tibi terram fluentem mel et lac. Istis verbis propositis spiritus sanctus* &c. Ad calcem prolixam habet *Tabulam* sic minio subscriptam: *Explicit tabula tractatus Decalogi Reuerendi Magistri Hinrici de Hassia compilacionis.* Sed manus non multo recentior vocem *Hassia* transfixit, et addidit: *Salua caritate et honestate Rubrice suprascripte tractatus de. X. preceptis compilatus est per reverendum magistrum Heinricum de frymaria sacre Theologie professorem de prouincia saxonie et Thuringie ordinis heremitarum sancti Augustini qui multis annis precessit Reuerendum magistrum de hassia.* Duos Codd. *Cremifanensem* et *Mellicensem* adfert *Bern. Pezius* in *Diss. isag.* ad T. I. *Thes. Anecd.* p. 77. qui pro *Hasso* pronunciant, sed *Tirnsteinensis*, quem adfert, item *Quedlinburg. Lipsiens. Wigorn.* et *Bodlejanus*, quos citat *Ossingerus* in *Bibl. Augustin.* p. 953. *Frimarium* autorem ajunt, quibus adde *Trithemium*, qui *n.* 589. ipsum Tractatus nostri initium: *Audi Israel praecepta* &c. consignavit. Annus emortualis *Frimario* statuitur 1340. cum *Hassus* 1397. demum obierit. Sed non hic tantum litem illi de *Praeceptorio* movet; editum enim est saepius Sec. XV. sub nomine *Nicolai de Lyra*, et primo quidem *s. l.* et *a.* in 8. et *Coloniae* 1477. in 8. Quin et aliud extat *Praeceptorium Job. Nideri* O. P. jam an. 1475. *Augustae* f. impressum; sed id incipit: *Decalogi legem sacratissimam* &c.

V. *fol.* 172. p. 2. *Incipit epistola de contractibus empcionis et vendicionis ad consules wienn. diuisa*